


Wolimer Bischoff von Cujavien beständiget  
und renoviret die von seinem antecessore Michael  
dem Teutschen Orden geschenckten Bischoffs=  
zehenden von den Orthen Nesson und Orlow, gegen  
eine gewisse recognition.

148

Wolymirus Dei gratia Episcopus Wla-  
dylaviensis totumque ejusdem ecclesie capi-  
tulum. Universis presens scriptum auditu-  
ris salutem in domino sempiternam. Cum  
bone memorie dominus Michael predeces-  
sor noster ordini et fratribus domus san-  
cte Marie Theutonicorum in Prussia qui  
pro fidei negotio magnifice promoven-  
do ad ampliandum honorem et gloriam  
nominis Ihesu Christi non solum posses-  
siones ecclesie nostre quas in territorio  
Culmensi habemus verum etiam omnes  
terras circumjacentes in quantum pos-  
sunt tuenter et defendunt. corpus et  
res de die in diem intrepide exponendo.  
in Orlow et Nesson decimas cum su-  
is pertinentiis de consensu capituli no-  
stri in veram ac perpetuam elemosinam  
liberaliter contulerit prout in literis ex  
hoc confectis plenius continetur. Nos  
eandem donationem rite ac provide fa-  
damus

factam ratificamus approbamus con-  
firmamus ac ex habundanti ex certa  
scientia de consensu nostri capituli pre-  
sentibus innovamus. Dicti vero fra-  
tres nostro grato concurrentes assensu  
De Nesson tres marcas usualis argen-  
ti decano Vladislaviensis ecclesie &  
De Orlow sex marcas ejusdem argen-  
ti rectori ecclesie in Wissegrad in festo  
sancti Martini annis singulis assigna-  
bunt. Renunciamus in omnibus pre-  
missis actioni & exceptioni doli bene-  
ficio restitutionis in integrum omnibus  
indulgentiis seu privilegiis a sede a-  
postolica impetratis seu etiam impe-  
trandis consuetudini ac statuto ac o-  
mni jure canonici & civilis auxilio  
nec non omni actioni exceptioni de-  
fensionis que contra dictam donatio-  
nem seu presens instrumentum vel  
factum possent obici vel opponi. In-  
huius rei testimonium & perpetuam  
firmitatem nostram ac capituli no-  
stri sigilla presentibus sunt appon-

sa  


appensa. Testes hujus rei sunt. Vitus  
prepositus. Albertus Decanus. Stephe-  
nus Archidiaconus. Sandiscus Custos.  
Johannes prepositus Crusvicensis.  
Lyfordus Archidiaconus. Andreas.  
Nicolaus. Johannes. canonici Wla-  
dislaviensis ecclesie. Datum in an-  
tiqua Wladislavia anno Domini  
millesimo Ducentesimo sexagesimo o-  
ctavo. tercio Kalend. Maji.

